



41

eandem hanc linguam translata est. Huius
 versionis tria capita adducit Pontanus origg.
 Francic. lib. VI c. XXIV p. 589. Verderius
 quidem *variarum lect. lib. V* dicit, coeptam
 demum in Germania, paullo post imperium
 Friderici II anno 1231, linguam Germani-
 cam excoli, latinisque characteribus exarari,
 sed ex antedictis hoc falsum esse statim pa-
 tebit. Galli etiam, utpote Romana provin-
 cia, hac lingua utebantur. Augustinus enim
 XIX de Ciuitate Dei c. VII ait, *data est ope-
 ra, ut ciuitas imperiosa non solum iugum, ve-
 rum etiam linguam suam domitis gentibus per
 speciem societatis imponeret.* Quare in cano-
 ne concilii Turonensis, provincialium Gallo-
 rum lingua dicitur rustica Romana, hone-
 stiorum Theotisca.

§. XXXIX. Varius tamen vsus concin-
 nandorum librorum, componendarumque
 historiarum sacrarum a seculo IX coepit,
 quo vero & posterioribus aliquot, Theotiscæ
 linguæ characteres cum minutis latinis ple-
 rumque conueniebant, nisi quod *d g h v*
 a latinis alienæ, in reliquis codices secun-
 dum latinorum criteria diiudicandi. Secu-
 lo XII scriptura admodum est nitida, litte-

C §

ra